

P S A L M. C X X X V I.

Titulus, & Argumentum.

Psalmus Dauid Hieremix.

Hic titulus non habetur in hebrao, & à Theodoro confectus dicitur ab aliquo audaculo Sed extat in libris græcis, & latinis, neq; ratio Theodori conuincit, titulum esse confectū, quia Hieremias non fuerit unquam in Babylone. Titulus enim non significat, Hieremiam in Babylone fuisse, sed Psalmum cōpositum fuisse à Dauide prouidente, & predicente captiuitatē Babylonicā, quā postea Iudæis imminētē Hieremias predicauit, & presentem deplorauit, & finem eius post Septuaginta annos futurum denuntiavit. Fieri quidem potest, ut hunc titulum Dauid non addiderit presenti Psalmo, sed postea additus fuerit, vel à Septuaginta Interpretibus, vel ab aliquo alio; tamen non ideo reijciendus est, quasi falsam historiam contineret. Argumentum Psalmi continet lamentationem captiuorum, & desiderium patriæ, ac predictionem seuerissimam animaduersionis in Babylonios, & Idumæos: quæ à Dauide scripta sunt, non tam ut simplicem historiam futuram narraret, quàm, ut admoneret Hebræos, ut quando in Babylonem ducerentur captiui, non afficerentur rebus Babyloniæ, sed assiduè ad patriam suspirarent. Et quoniam Propheta spiritalis erat, & nouerat, Babylonicam captiuitatem figuram esse captiuitatis humani generis, & terrenam Hierusalem figuram esse cœlestis patriæ; simul admonet omnes electos, quomodo se gerere debeant in exilio, & captiuitate. Et sine dubio ad hunc præcipuè finem Ecclesia cantica ista spiritalia frequentat, ut ex his intelligere possint homines an sint ciues Babyloniæ, an Hierusalem, id est, an sint cum electis in cœlesti patria regnaturi, an cum reprobis, & hoc Mundo damnandi.

EXPLICAT. PSAL. CXXXVI.

Super flumina Babylonis illic sedimus, & fleuimus, cum recordaremur Sion. I.

Verba sunt captiuorum, qui ab Hierusalem in Babylonem abducti fuerāt: qui quidem, ut Chrysostomus docet, non in ipsa ciuitate primaria habitabant; sed in agris ad varia opera vilia deputati degebant, & ad ripas fluminum, quibus ea prouincia abundat, aliquando fessi sedebant, & ex recordatione, & desiderio patriæ flebant. Dicuntur autem flumina Babyloniæ, nō quòd omnia per ipsam ciuitatem labantur (solus enim Eufrates per Babylonem fluit) sed quòd ad ditionem Babyloniæ pertinerent; nisi placeat per Babylonem, totam prouinciam hoc loco significari: quomodo Samaria ciuitas est, quæ toti etiam regioni nomen dedit. Sed spiritaliter verba sunt electorum Dei, qui corpore captiui tenentur in mundo, quamuis corde à mundo separati, ciues se nouerint cœlestis Hierusalem: isti enim sancti peregrini super flumina consistunt, nō in fluminibus demersi uoluntur, & præcipitantur ad mare. Flumina Babyloniæ sunt bona temporalia huius mundi, quibus qui affixi sunt per desiderium, ut auari, ambitiosi, voluptarii, magno sonitu cōtentionum, & litium alliduntur ad saxa, & cum ipsis aquis uoluntur in præceps, donec ad abyssum magni maris æternum puniendi præcipitentur. Hæc igitur est prima conditio ciuium supernæ patriæ, & primum signum, vnde quisque intelligat, ad quem populum pertineant: qui enim supererminent rebus temporalibus, & corde in cœlum defixi, non abripiuntur desiderio rerum terrenarum; hi sunt, qui non ad Babyloniæ, sed ad Hierusalem pertinent. Deinde iidem ciues Sanctorum, sedent ad ripas fluminum, id est, in humili loco se ponunt, non erigunt se ad excelsa, non ambiunt dignitates, non superbe sapiunt: & si fortè contingat eos eleuari ad regimen Babyloniæ, ut verè contigit Danieli, & non paucis sanctis Christianis Regibus; isti in alto

alto